


Johann Daniel Overbeck

## **Memoria Vitae Viri Nobilissimi Et Consvltissimi Philippi Ludovici Speneri I. V. D. Et Cavsarvm Patroni Celeberrimi**

Lvbecae: Typis Exprimebat Georgivs Christianvs Green Magnifici Senatvs Typographvs, [1784]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1788865839>

Druck Freier  Zugang



4°

*Spener*

1784.

Jz II

3815-4



J 7 II

3815-4°

# MEMORIA VITAE

VIRI

NOBILISSIMI ET CONSULTISSIMI

# PHILIPPI LVDOVICI SPENERI

I. V. D.

ET

CAVSARVM PATRONI CELEBERRIMI

LITTERIS CONSIGNATA

IOHANNE DANIELE OVERBECK

GYMNASII LVBECENSIS RECTORE

SOVIETATVM TEVTONICARVM GÖTTINGENS. IENENS. ET ALTDORFINAE

LATINAE MARCHICOBADENSIS COLLEGA HONORARIO.



LVBECAE

TYPIS EXPRIMEBAT GEORGIUS CHRISTIANVS GREEN

MAGNIFICI SENATVS TYPOGRAPHVS.

**A**utissime simulque, nisi penitus ego fallor, verissime accuratissimus ille quondam earum rerum, quae sciri ab hominibus possunt, ut arbiter, ita pictor ac censor, IOHANNES MATTHIAS GESNERVS in eo libello, quo maxime meruit ita, quomodo dixi, nominari <sup>(1)</sup>, hoc annotat, non corpus modo humanum, sed animum quoque, nec tantum voluntatem, verum etiam intelligendi vim totamque mentem, cuidam quasi contagioni patere, dum: *Est velut contagio quaedam*, inquit <sup>(2)</sup>, *ut morborum, ita sententiarum*. Quam rem, quibus modis, quamque lepide ac luculenter suis auditoribus Vir summus declarare sciuerit et illustrare, volupe est videre ex additamentorum copia bonae frugis plenissima, qua libellum edidit largiter instructum vir celeberrimus IOHANNES NICOLAUS NICLAS, auctoris olim ut amantissimus, ita cupidissimus et pro ea, qua iam tum pollebat, eruditione felicissimus auditor, qui tradendo cuncta, quae ex interpretantis ore calamo exceperat, nec omittendo, ut videtur, vel verbulum vllum, ex discipulo Magistri incomparabilis lectorum illius eiusdem et suorum praestantissimus doctor factus est <sup>(3)</sup>. Exempli loco ponitur ibi philosophia RVDIGERI <sup>(4)</sup>. Ostenditur, quam late serpsit in Gallia quondam turba vel ARISTOTELEM, vel RAMVM, vel CARTESIVM sectantium <sup>(5)</sup>. Memoratur, Parisiis ad sepulcrum ibi mortui et humati PARISII Diaconi, quanta vis ac multitudo exstiterit, vno et altero incipiente ac praeunte, stultorum immo furiosorum, a credulis inde quibusdam vilissimae plebis hominibus, vsque ad honoratissimos multos eisdemque fortissimos eruditissimosque, in his ad militem doctissimum et explanatorem POLYBII, FOLARDVM <sup>(6)</sup>. Inde conuersa tandem oratione GESNERVS <sup>(7)</sup>: *Non solum in malam partem est*, inquit, *contagio, verum etiam contagio est felix; in religione. Christiana religio prima vera fuit contagio*. Nec vero videtur id esse mirandum, quum suos ista religio confesiores recte agendo facem iubeat caeteris lucemque praefere <sup>(8)</sup>, et in adhortationibus Apostoli summi sit illa quoque praesertim <sup>(9)</sup>: *Studiose colamus alter alterum, ut prouocemus nos inuicem ad amorem et praeclare agendum*. Quibus in verbis annotari meretur maxime vocabulum *paroxyfmi*, quo graeca viri diuini oratio vtitur, ut ipse tacite vim quandam amoris contagiosam indicare videatur, quia scilicet in morbis illa vi nil magis gaudet plerumque, quam ille, quem paroxyfnum solent Medici vocare. Pergit quoque GESNERVS <sup>(10)</sup>: *Alia familia aliis sanctior habetur et caeteris quasi diuinior. Aggregant se ad illam alii, et non tam mouentur et alliciuntur, quam felici contagione corripuntur ad similem vitae sanctitatem*. Vbi sane quod aliquam dicit familiam caeteris haberi fortius impellat vel filium, vel nepotem, quam patris exemplum, aut aui? Ut nullam rem fere magis noxiam hodierna consuetudo magisque pestiferam inducere videatur, quam liberorum educationem illam, quae saluberrimam in religione institutionem ad vsum vsque rationis differat, quum tamen ad puerilem aetatem facillime contagio quaeque soleat ac citissime peruenire. Itaque peruersum illum iniquumque morem etiam alibi tangit et fortiter refellit in eodem opere GESNERVS <sup>(11)</sup>. An forte non est amplius *multum*, sicut antea fuit semper, *in teneris consuescere* <sup>(12)</sup>?

Nos quidem iam in qualemcunque hanc delapsi sumus meditationem huius Viri causa, de cuius vita iussi sumus aliquid scribere. Hic enim qua gente sit ortus, videmus. Nec cuiquam apud nos, quam Christianam idem, quasi a maioribus traditam, habuerit exercueritque virtutem veramque pietatem, ignotum potest esse. At hic tamen in re lauta et in sociabili admodum viuendi consuetudine, ob quam petitus a plurimis omni tempore et inuitatus, haud temere abstinebat vnquam, nedum se subtrahebat cerebrose, singulariter, superbule, sanctulorum instar, ab hominum confortionibus, non potuit sane carere, sed fortasse debuit interdum sollicitari quibusdam incitamentis ad minus recte agendum, quibus innumeri pessum ierunt. Quid de artibus litterarumque studio dicam, quibus o! quot semper homines infelices ad suam perniciem sunt abusi? Quid de iurisprudencia? Quae, quod saepe nimis in sui cultoribus fuit idem, quod gladius in manu furiosi, occasionem dedit illi, quod est in sermone vulgari, eum, qui sit bonus Iureconsultus, fere hominem esse male Christianum. Quod frequentius quoque iactatum olim fuisse a viro suae aetatis longe clarissimo iurisque consulto praestantissimo VIGLIO ZVICHEMO, Frisio, et narrat ex EMANUELE METERANO <sup>(13)</sup> et miratur impense IOHANNES GVILIELMVS BERGERVS, ostensurus, omnia contraria longeque diuersa in IOHANNE PAVLO SCHROETERO fuisse <sup>(14)</sup>.

In hac igitur omni re, quod hanc morum animique sanctimoniam, quam praedicamus vno ore, praestitit ille, de quo ista scribenda sunt, quodque vir fuit non minus egregie in omni iurium arte versatus, quam vere Christianus, id annon sanctissimorum parentum atque maiorum admirabili disciplinae et exemplo, atque adeo contagioni cuidam, quae familiam illam occupauerat, tribuendum esse dicemus? Iudicium vero non meum esto, sed aliorum. Narrari oportet a me, quae narranda sunt, et quae breuiter iam sincereque memoriae prodam.

Adspexit primus hanc lucem PHILIPPVS LVDOVICVS SPENERVS Wittebergae anno saeculi huius vicesimo tertio, ante diem duodecesimum Iulii.

Pater, vir eruditissimus ac celeberrimus, IACOBVS CAROLVS SPENERVS, I. V. D. et Saxonum Ducis Electoris a consiliis aulicis in florentissima Wittebergensium academia Iurisprudenciam et Historias publice magnaue cum laude profitebatur, at nimis mature, proh dolor! a. xxx. a. d. xxi. Iunii fato functus est.

Mater, ante aliquot annos maiori natu mortua, HELENA CATHARINA, digna propago fuit gentis nobilissimae ab HVYSEN, cuius antiquum stabilemque florem imperialis Guestphalorum in comitatu Marchiae ciuitas, Essendia, suis moenibus, quoad potuit, vehementer gratulata est.

<sup>(1)</sup> Prodiit aliquoties Gotingae, deinde quoque Lugduni Batauorum, sic in fronte proscriptus: I. M. GESNERI primae lineae Isagoges in eruditionem vniuersalem, nominatim philosophiam, historiam, philosophiam. <sup>(2)</sup> §. 620.

<sup>(3)</sup> Edidit librum Lipsiae Tomis duobus, quorum primus prodiit a. 1774. secundus a. 1775. 8. et proscriptioni ex vero haec addidit: *Accedunt praelectiones ipsae per IO. NICOLAUM NICLAS.* <sup>(4)</sup> T. I. §. 620. p. 504.

<sup>(5)</sup> Ibid. p. 505. <sup>(6)</sup> p. 506. <sup>(7)</sup> p. 507.

<sup>(8)</sup> Matth. V. 16.

<sup>(9)</sup> Hebr. X. 24: *Κατανοώμεν ἀλλήλους εἰς παραρτίων ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων.*

<sup>(10)</sup> Pagina eadem 507.

<sup>(11)</sup> T. II. §. 1520. pag. 668. *De religione*, inquit, *ita quidam dispensant: differendam esse illam institutionem ad vsum rationis. Sed eadem etiam ratione efficias, differendum esse honorem et obedientiam parentibus et educatoribus praestandam.*

Et in praelectione a NICLASIO addita, pagina eadem et sequenti: *Experientia docet, eorum religionem, qui illa adulti demum imbuantur, non fieri rationalem, sed illos plerumque euadere tales, quorum religio parua capita habeat. — Paruus infans non ratiocinatur, dicunt. — Demonstratione non frunt pii. Dicunt, religio fit praedudicia, congeries praedudiciorum et coactuatio. Recte: ut litterae; ut hunc patrem meum esse credo. Sint praedudicia: Si etiam falsam religionem imbiberit penitus: melius est, falsam religionem habere, quam nullam. Deinde possunt emendare, si quae videant falsa. — Puerum, qui falsa quaedam credit, DEVS non condemnabit.*

<sup>(12)</sup> VIRGIL. Georg. Lib. II. v. 272.

<sup>(13)</sup> Historiae Belgicae Lib. VI.

<sup>(14)</sup> Dum scilicet in libello, qui inscribitur: *Bonus Christianus in bono Iureconsulto*, auditores ad laudes viri a quodam recenti carmine celebrandas conuocare cogitat, qui libellus numero est in Stromateo academico vndicesimus pagg. 279-285.

**Paternus** **ANUS PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS**, ille Theologus insignis fuit, qui tantus habetur ab omnibus bonis tantorumque meritorum vir tantaque pietatis, famaue tantae, vt viuere paene hodieque videatur, nec unquam, quoad religio florebit et Christiana virtus, et erit quaedam eruditorum hominum respublica, moriturus esse.

**Auia Paterna SVSANNA** gentili nomine **ERHARDA** dicta est.

**Maternus Auus, IOHANNES AB HVYSSEN**, Essendianorum in Mercatoribus celebre nomen, in re publica vero munia gessit Senatoris.

**Auia Materna ELISABETA** traxit ortum ex ea gente, quae nomen habuit a **SANTHEN**.

Paternae hinc originis Proauorum Proauiarumque amborum et ambarum, aliquam notitiam dare, saltem nomina recensere possum, Maternae vero vtriusque Proauit tantum.

Stirpis igitur Paternae primus fuit **IOHANNES PHILIPPVS SPENERVS**, illustrissimi inter Alsatos in rupe Rapoldi Comitis a consiliis aulicis et Archiuarius, prima **AGATHA SALTZMANNA**, secundus **IOHANNES IACOBVS ERHARDVS**, Argentoratensis reipublicae Tredecimuir, secunda **CATHARINA** gentis **HARLINGIAE**. Materni generis primus **ARNOLDVS AB HVYSSEN** Essendiae floruit in ordine Senatorio, secundus praedii nobilissimae gentis a **SANTHEN** dominus hereditarius, Hilburghusae prope Düsseldorfium in illo praedio vixit.

Ab his caeterisque Maioribus in Hunc Nepotem deriuata virtus est, vt ex capite non vno colligi flumen solet. Et mature hic suae indolis vestigia ostendit. Cuius rei vel hoc specimen fuisse dicerem, quod puer triennis a Patre, tum academiae Rectore, Albo academico insertus est, nisi eiusmodi quidam caeteris anteuertendi mos in academia satis ambiguus esset. Certiora dedit ingenii documenta, quod ampliter statim idoneorum ope magistrorum, quorum copia in illa cultissimorum luce adolescentum paternae domui deesse non poterat, in omni puerili arte profecit. Valde dolenda erat iuncta illa mentis vigori, quemadmodum in multis, eidemque maxime aduersaria, debilitas corporis, quae sicuti semper totam exercuit viri vitam, ita iam tum validissimos quosque conatus pueri et adolescentis identidem sufflaminabat. Accessit importuna mors Parentis, quem octauo pueritiae anno amisit et in illa virium animique teneritate grauitate luxit.

Misus est haud diu post Essendiam, vbi videbatur feliciter, quae adhuc egregie domi inceperat, perficere posse. Florebat enim ibi ad inuidiam vsque, sicut etiamnum, Gymnasium illustre. Diligentissime operam nauabant discendi cupidae iuuentuti praestantissimi multi atque clarissimi magistri: in his maxime **ZOFFIVS**, locuples ille plurimorum auctor librorum scholasticorum, dignusque fama tam largiter parta fingendi iuuenilis ingenii artifex. Viuebant consanguinei numero multi, re familiari satis instructi, virtute ac pietate praestantes, quos ad eum certatim alendum, admonendum, incitandum, promouendum, quolibet afficiendum beneficiorum genere, amor, industria, cura, quin ipsa sanguinis propinquitas, prouocabat.

Hisce tot non modo viuendi, sed etiam discendi opportunitatibus quum aliquot annos fruitus esset proque constanti, qua gaudebat, animi probitate, perpetuo summi Numinis adiumento, perquam studiose vsus, non habebat amplius necesse, vt diutius in inferiore haereret schola, sed suo quodam adspirare poterat iure ad superiorem. Quo autem potius auolaret, quam in patriam, Wittebergam? Reuersus igitur illuc est a. **XL**. Sacri Michaeli tempore et rei adhuc a se praeclarissime gestae luculenta secum testimonia attulit.

Iam venisse in patriam denuo, renouatum erat habere propositum firmissimum, quod tenuit deinde constanter, ita viuendi, vt neque se, quantum proficeret, poeniteret, et sibi rerum pie, prudenter, solcite, solerter agenda-rum ratio constaret. Et elegantiores quemadmodum iam egregie callebat litteras et historiam quum omnem, tum in primis litterariam, quam tractare inceperat, impense amabat, ita nunc duplicatam quandam industriam, quin innumeris auctam partibus, iucundissimis his rebus impendit. Minimeque philosophiam omisit, sed didicit accurate doctoribus praestantissimis, **MARTINO HASSIO** caeterisque, quos praesertim acris aemulatio acutissimi protulerat **HOLLMANNI**. Inde se totum quasi mancipauit Iurisprudentiae cunctasque sibi partes illius atque artes, iucunditates, diuitias notas, immo tantum non proprias, reddidit, ducibus vsus longe excellentissimis, id est, in omni illa arte Rosciis, maxime **GERHARDO CHRISTIANO BASTINELLERO**, **AVGVSTINO LEYSERO**, **SAMVELE CRELLIO**. A quibus tanto maiori docebatur industria, quanto cariori tantis Luminibus erat Patre vsus, quantoque magis elucebat ipse, tanquam dignus tam illustri Parente filius, quum praeclaris profectibus, tum ingenio, industria, modestia, probitate omnique pietate, quas virtutes vti semper in aliis ipse suo exemplo, sic rursus in illo commilitones quidam atque familiares, in his agnati atque cognati, qui deinde doctrina, meritis, gloria maxime floruerunt et partim adhuc florent, vehementer acuebant.

Ex arctiori illa cum his consuetudine hanc etiam percepit vtilitatem, quod subinde repetendi atque meditandi, quae didicerat, nancisceretur occasionem, non modo priuatim et familiaribus quibusdam in circulis, verum etiam publice, quando a ventilantibus aliqua profectuum suorum specimina, vt ingenii et exercitii causa sibi sua tuituris amice et vt mos est academiaram, inferret arma, rogabatur. Publice ergo hac ratione saepius oppugnauit illos. Vno tempore ab illorum petitionibus et aggressu semet ipse defendit, quum videlicet anno **XLVII**. Praeside **LEYSERO de Legationibus** disputabatur. Vbi tam egregie fletit, vt pariter ob hanc laudem, ac propter omnem, qua enotuerat, praestantiam, continuo facultatem agendi in foro lites adipisceretur. Atque sic eius rei iam tum auspica-tum quoddam initium fecit.

Profuturus ergo patriae, ciuitatem quoque, patriae caput, Dresdam visere cupiebat aulamque Regiam, eo magis, quod ingens tum ex omnibus Europae partibus hominum multitudo illuc confluxerat, accitorum atque coactorum insigni quadam festiuitatum haud saepe conspiciendarum solemnitate. Quibus rebus, eo delatus, illa interfuit mente, qua credibile est per eiusmodi occasionem hominem vti, sicut Regis amantem, ita reuerentem **DEI**, et multo magis otii litterarumque, quam strepitus magnificorumque apparatusum, sua nunquam carentium vanitate, studiosum.

Tam cito igitur inde reuersus est, tamque cupide suam repetiit Wittebergam, vt iam a. d. **XXIV**. Aprilis eiusdem anni sese percunctaturis praeberet accuratiusque de suo iudicaturis profectu Iureconsultis, quam rem vulgo *tentamen rigorosum* vocant et subeundam academiae praescribunt quibuslibet supremos ab aliquo suo ordine honores efflagitaturis, vt subsequatur deinde proxime praecedens hos honores alia similis res, quod *examen rigorosum* solent nominare, nec ante patiuntur hoc posterius in aliquo locum habere, nisi cesserit eidem superius illud ita, vt aditus ipsi possit ad vltiora concedi. Qui quidem Illi aditus tum statim ac memorabili cum laude apertus fuit.

Sed ne simul tenderet continuo vltius, maxime iter obstitit necessarium, quod Essendiam, quasi iam alteram suam patriam, facere debebat, vbi tum quoque oblatum sibi a ciuibus ordinem Senatorium iustis de causis deprecabatur. Quumque salutasset hinc a. **XL**. ad tempus academiaram vicinam Duisburgensem et habitantes ibi viros doctissimos, **PAGENSTECHERVM** in primis atque **SVMERMANNVM**, amicos parasset, vt rediit Essendiam, ibi desponsatus interea iucundissime cum vnica Sorore ipsius **ELISABETA SVSANNA CAROLINA** Vir Magnificus et Illustris erat, **HENRICVS BROKES**, Consul posthac reipublicae Lubecensium, a. **LXXIII**. a. d. **XXI**. Maii, meritis immortalibus partis, mortuus, tum vero Iurium **P. P. O.** in academia Ienensi et Gothani Saxonum Ducis a consiliis aulicis.

Nuptiis hinc ibidem hilariter a. d. xiv. Iulii celebratis et Ienam profecto nouo Coniugum Pari, ad aliud sese iter accinxit, quo primum Düsseldorfium venit, inde Coloniam Agrippinam, inde Bonnam, et Confluentiam, et Moguntiam et Francofurtum et salutatis obiter Ifenaco, Gotha, Erfordia, Vinaria, Ienam, vbi tempus aliquod in suauissima carissimorum capitum, BROKESII et BROKESIAE, societate transegit.

Inde reuisit Wittebergam et postea Lipsiam quoque diuertit et Halam Magdeburgicam et delatus iterum Ienam, Comite assumpto amantissimo dulcissimoque BROKESIO suo iter ingressus illud est, quo postremum Gueßphaliam salutauit, idemque ita finit tandem, vt cum incomparabili Affine suo Ienam, ibi mansurus, reuerteretur. Quocum eodem VIRO magno, erudito, graui, humano, continuum ipsi fuit tenerrimi certamen amoris mutuaeque nec vnquam interruptae, quoad simul ambo vixerunt, beneuolentiae. Cuius rei testimonium quoque publicum a. LI. edidit duplex, quum Ille et susciperet et deponeret academici munia Rectoris, elaboratis doctissime duabus et emissis gratulandi causa commentationibus, quarum altera *de Decanis facultatum academicis* ornando hac dignitate bene precatus est verbis latinis, altera egresso germanicis, docens, *cur honoris causa quibusdam uiris adscribatur magnificentia, von dem Ursprunge des Titels Magnificenz.*

Ienae disputauit etiam Eodem Praefide. Summos enim Themidos honores ambiendi, vbicunque vellet, venia impetrata ab illustri Iureconsultorum Ordine Wittebergenium, a quibus apertum ipsi eius rei aditum primo fuisse diximus, ad adipiscendum illud praemium nullo alio voluit adiutore, quam Illo coniunctissimo Affine suo, viam sibi munire. Cathedra igitur cum Illo simul adscensa tuitus est insigni cum gloria scriptum eleganter, docte copioseque commentarium: *de herede fundi laudemialis, in diuisione hereditatis a Laudemio non simpliciter immuni* a. LII. a. d. xiiii. Maii, et eo facto statim Iuris Vtriusque Doctor publice renuntiatus est.

Accidit hinc anno proximo LIII., vt idem ille BROKESIUS, a me honoris causa saepius nominatus, nec vnquam sine iusta nominandus veneratione, Lubecam a Magnifico Senatu ad ingrediendum Syndici primarii munus euocaretur. Quo tempore ab Illo nutum hunc secuturo iamque suscepturo iter sensit se nulla posse ratione diuelli nec vnquam deinde seiunctus fuit, vel in itinere, vel hic loci, donec eheu! a. LXXIII. a. d. xxi. Maii Ille moretetur. Hic autem o! qualis vel Illi vixit, vel Coniugi Eiusdem, amantissimae suae Sorori, ante annos haud ita multos mortuae, vel Fratri, quoad ille in viuis erat, inuisenti ad se quotannis, vel Fratris praeter Coniugem Liberis, quos domi suae Patris instar omni beneficiorum genere affecit, vel Amicis, vel inimicis etiam, si quos habere posset, vel Ciuibus, vel exteris atque aduenis, vel egentibus atque viduatis, vel omnino orbis omnibus et auxilio destitutis, vel omnino, dicam simpliciter, omnibus: vel denique, quod principium erat atque fundamentum virtutum Eius omnium, o! qualis vel sibi, vel DEO vixit! Possem homines, possem inanimata templa testari. Possem ad imos prouocare aedium angulos, in quibus plurima eius egregie facta latitarunt, solo DEO, confcio, nisi forte ipso aliquid inuito et insciente manasset in vlgus.

Huncine Virum, cuius minima laus erat minime vulgaris eruditio, maior merita praeclara in clientes, in mercatorum collegium a faciendis in Scandiam cursibus nomina nactorum, quorum Archiuarius fuit, in omnem denique ciuium ordinem, maxima, quod in praecipuis modestiae veraeque pietatis exemplis numerandus esset, huncine Virum igitur nemini non carum fuisse miremur? Huncine ad eruditissimorum quorumque et nobilissimorum cultissimorumque hominum congressus familiares et conciliabula appetitum frequenter et adiunctum? Huncine iam fere publice et supra modum lugeri atque desleri? Taceo de me, quem eximio semper et vltra meritum amore dignatus est. Dico de omnibus, ad quos aliqua Eius notitia peruenit.

Quos ne fugeret, a nobis quam sit ratione, quo morbi genere, auulsus, ista scripsit accitus prope Medicus ordinarius, Vir nobilissimus et experientissimus CHRISTIANVS FRIDERICVS TRENDELENBURG, salutaris artis Doctor et Effector felicissimus et ab omni meritorum genere celebratissimus:

„Tenella erat debiliusque nervorum compage, atque inde lipothymia saepiuscule obnoxius Vir Praenobilissimus, Doctissimus, Consultissimusque noster SPENERVS, ο νου εν τοις αγιοις, ita ut, quoties morbo quodam corripere, hic semper fere inciperet cum lipothymia. Sic statim initio cum graui ingressus est lipothymia fonticus ille funestusque, in quem ultimo incidere, post octiduum, eheu! lethalem, febris scilicet illa catarrhalis quidem, sed omnino non benignae naturae, indolis puridae, subdolae, malignaeque. Pulsus febrilis, celer, debilius modo, modo fortior intermittens erat ab initio morbi per totum eius fere decursum. Catarrho multoque mucosae obsessi erant pulmones, cum tussi valida, grauiori & sonantiori animae meatu, sibilisque fere perpetuo in aspera arteria, cum anacatharsi quidem multa facillique, doloribus tamen hinc inde vagantibus in pectore punctoriis, leuidentibus. Ingens erat statim morbi initio virium fracturarum prostratio, lingua arida, fusca, subnigra, multis sordibus inquinata, faecum abscessiones, cum leuamine tamen, multae, puridae, graueolentes. Valde mitigatus visus est dolosus morbus tertio iam die, atque quarto plane fere evanuit febris. Cum luculentis instantis criseos tam per sudores, quam per urinam indicium, maiori tamen cum saevitia retrovertebatur iam quinto die. Crescebat sexto die morbus, rite quamquam succedentibus criseos indicium, cum dolorosiori in lingua ulcusculo plano superficialique. Magis magisque semper saeviente morbo febrigue, perfecte tamen septimo die erat urina hypostatica, sed propullulabant aphthae in faucibus oreque. Finiente septimo, vel si mavis incipiente octavo die rediit formidolosa illa lipothymia, rediitque mox iterum syncope nunc potius nominanda, cum qua animam placide efflavit, ad piorum iam sedem locumque nunc transeuntem, Vir optimus, ob animi ingenuitatem, integritatem dexteritatemque conspicuus, planeque amabilis, amicus mihi iam, totque amicis, totque agnatis desideratissimus, cuius iacturam grauiter dolemus. „

Et apparent ex iis, quae narrata sunt a me quoque, causae dolendi. Quae sane commouent merito grauius terque percutiunt cunctos, de quibus modo indicabam, qualem Virum et quomodo in se animatum amiserint. Horum vero ad neminem pertinent magis, quam ad vos, moestissime Nepos, afflictissima Neptes, tristissima Affinis, lectuossissimi Agnati atque Cognati, tota denique LVGENTIVM DOMVS. Nonne vero mentis est gratiae, frequenter ea cogitare, quae praeclara fuerunt in ILLO, quem doletis amissum, frequentius, quae praeclara maxime? Quae-nam? Ea, quapropter in sodalitiis praeclare iam fulget angelorum et caelitem apud DEVM. Fidei dona casta, sincera, denique Christiana, quae mirati sunt in ILLO omnes, ille quoque praesertim, cuius in finem ima solebat animi sensa DEO CHRISTO dediti effundere, cuius e manu in publico coetu, sicut alias frequentissime, sic nuperrime quoque, symbola sacratissima saluantis homines Redemptoris pie, sancte, reuerenter accepit, vir admodum reuerendus et praeclarissimus, IOHANNES HERMANNVS HARMSEN, sacri coetus Mariani Archidiaconus, fide, meritis, laudibus insignis, qui et iniectum initio lecto ferali fortiter ore facundo solatus est, et valedicturum a. d. x. Ian. hora matutina octava huic mortalitati, paulo ante piis precibus DEO tradidit. Haec omnia meditamini, recolite, perpetuo fideli mente retinete, certissima luctus Vestri solatia. Fauet VOBIS DEVS et, quod optant candide mecum omnes boni, aspera, moesta, tristitia, quae acciderunt, in omnia laeta, iucunda, prospera conuertat!

Humillime iam, reuerenter humaniterque, MAGNIFICI ET ILLUSTRIS REIPUBLICAE CONSULES, summe venerabilis et illustris reuerendo Canonicorum Ordini PRAEPOSITE, generosissime Eorundem DECANE, summe reuerende et excellentissime Sacrorum PRAESVL, nobilissimi, consultissimi et experientissimi Iurium scientiae Medicaeque DOCTORES, admodum reuerendi et praeclarissimi Sacri Ordinis SENIOR, PASTORES atque SYMMYSTAE, nobilissimi, generose, prudentissimi et amplissimi Reipublicae SENATORES, PROTONOTARIE et SECRETARII, et quotquot viuunt apud nos perspicacissimi quique pietatis virtutumque Cultores, rogamini LVGENTIVM verbis et oramini, vt hodie adesse frequentes funeri et, quoniam apud vos in honore praeclari viri etiam post fata sint, ostendere velit.

P. P. Ipso Exsequiarum die XIX. Ianuarii A. cMDCCLXXXIV.







Paternus Avus PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS, ille Theologus insignis fuit, qui tantus habetur ab  
ibus bonis tantorumque meritorum vir tantaque pietatis, famaeque tantae, vt viuere paene hodieque videatur, nec  
nam, quoad religio florebit et Christiana virtus, et erit quaedam eruditorum hominum respublica, moriturus esse.

Auia Paterna SVSANNA gentili nomine ERHARDA dicta est.

Maternus Avus, IOHANNES AB HVYSSEN, Effendianorum in Mercatoribus celebre nomen, in re publica  
munia gessit Senatoris.

Auia Materna ELISABETA traxit ortum ex ea gente, quae nomen habuit a SANTHEN.

Paternae hinc originis Proauorum Proauiarumque amborum et ambarum, aliquam notitiam dare, saltem  
ina recensere possum, Maternae vero vtriusque Proau tantum.

Stirpis igitur Paternae primus fuit IOHANNES PHILIPPVS SPENERVS, illustrissimi inter Alfatos in rupe  
oldi Comitit a consiliis aulicis et Archiarius, prima AGATHA SALTZMANNA, secundus IOHANNES  
OBVS ERHARDVS, Argentoratensis reipublicae Tredecimuir, secunda CATHARINA gentis HARLINGIAE.  
erni generis primus ARNOLDVS AB HVYSSEN Effendiae floruit in ordine Senatorio, secundus praedii nobi-  
nae gentis a SANTHEN dominus hereditarius, Hilburghusae prope Düsseldorfium in illo praedio vixit.

Ab his caeterisque Maioribus in Hunc Nepotem deriuata virtus est, vt ex capite non vno colligi flumen solet.  
nature hic suae indolis vestigia ostendit. Cuius rei vel hoc specimen fuisse dicerem, quod puer triennis a Patre,  
academiae Rectore, Albo academico insertus est, nisi eiusmodi quidam caeteris anteuertendi mos in academia  
ambiguus esset. Certiora dedit ingenii documenta, quod ampliter statim idoneorum ope magistrorum, quorum  
a in illa cultissimorum luce adolescentum paternae domui deesse non poterat, in omni puerili arte profecit. Valde  
nda erat iuncta illa mentis vigori, quemadmodum in multis, eidemque maxime aduersaria, debilitas corporis,  
e sicuti semper totam exercuit viri vitam, ita iam tum validissimos quosque conatus pueri et adolescentis identi-  
fufflamminabat. Accessit importuna mors Parentis, quem octauo pueritiae anno amisit et in illa virium animique  
eritate grauitur luxit.

Missus est haud diu post Effendiam, vbi videbatur feliciter, quae adhuc egregie domi inceperat, perficere  
e. Florebat enim ibi ad inuidiam vsque, sicut etiamnum, Gymnasium illustre. Diligentissime operam nauabant  
endi cupidae iuuentuti praestantissimi multi atque clarissimi magistri: in his maxime ZOPPIVS, locuples ille  
imorum auctor librorum scholasticorum, dignusque fama tam largiter parta fingendi iuuenilis ingenii artifex.  
ebant confanguinei numero multi, re familiari fatis instructi, virtute ac pietate praestantes, quos ad eum certa-  
alendum, admonendum, incitandum, promouendum, quolibet afficiendum beneficiorum genere, amor, indu-  
a, cura, quin ipsa sanguinis propinquitas, prouocabat.

Hisce tot non modo viuendi, sed etiam discendi opportunitatibus quum aliquot annos fructus esset proque  
debat, animi probitate, perpetuo summi Numinis adiumento, perquam studiose vsus, non habe-  
le, vt diutius in inferiorè haereret schola, sed suo quodam adspirare poterat iure ad superiorem.  
s auolaret, quam in patriam, Wittebergam? Reuersus igitur illuc est a. XLI. Sacri Michaelèi  
uc a se praeclarissime gestae luculenta secum testimonia attulit.

in patriam denuo, renouatum erat habere propositum firmissimum, quod tenuit deinde constanter,  
que se, quantum proficeret, poeniteret, et sibi rerum pie, prudenter, solcite, solerter agenda-  
t. Et elegantiores quemadmodum iam egregie callebat litteras et historiam quum omnem, tum in  
quam tractare inceperat, impense amabat, ita nunc duplicatam quandam industriam, quin innu-  
ibus, iucundissimis his rebus impendit. Minimeque philosophiam omisit, sed didicit accurate  
atissimis, MARTINO HASSIO caeterisque, quos praesertim acris aemulatio acutissimi protulerat  
Inde se totum quasi mancipauit Iurisprudentiae cunctasque sibi partes illius atque artes, incundita-  
s, immo tantum non proprias, reddidit, ducibus vsus longe excellentissimis, id est, in omni illa  
ime GERHARDO CHRISTIANO BASTINELLERO, AVGVSTINO LEYSERO, SAMVEL  
ibus tanto maiori docebatur industria, quanto cariori tantis Luminibus erat Patre vsus, quantoque  
e, tanquam dignus tam illustri Parente filius, quum praeclaris profectibus, tum ingenio, indu-  
robitate omnique pietate, quas virtutes vti semper in aliis ipse suo exemplo, sic rursus in illo  
dam atque familiares, in his agnati atque cognati, qui deinde doctrina, meritis, gloria maxime  
m adhuc florent, vehementer acuebant.

Ille cum his consuetudine hanc etiam percepit vtilitatem, quod subinde repetendi atque meditandi,  
ancisceretur occasionem, non modo priuatim et familiaribus quibusdam in circulis, verum etiam  
a ventilantibus aliqua profectuum suorum specimina, vt ingenii et exercitii causa sibi sua tuituris  
st academiaram, inferret arma, rogabatur. Publice ergo hac ratione saepius oppugnauit illos. Vno  
n petitionibus et aggressu semet ipse defendit, quum videlicet anno XLVII. Praefide LEYSERO  
disputabatur. Vbi tam egregie stetit, vt pariter ob hanc laudem, ac propter omnem, qua eno-  
m, continuo facultatem agendi in foro lites adipisceretur. Atque sic eius rei iam tum auspica-  
ium fecit.

ergo patriae, ciuitatem quoque, patriae caput, Dresdam visere cupiebat aulamque Regiam, eo  
gens tum ex omnibus Europae partibus hominum multitudo illuc confluxerat, accitorum atque  
quadam festiuitatum haud saepe conspiciendarum solemnitate. Quibus rebus, eo delatus, illa inter-  
credibile est per eiusmodi occasionem hominem vti, sicut Regis amantem, ita reuerentem DEI, et  
litterarumque, quam strepitus magnificorumque apparatusum, sua nunquam carentium vanitate,

igitur inde reuersus est, tamque cupide suam repetiit Wittebergam, vt iam a. d. XXIV. Aprilis  
percunctaturis praeberet accuratiusque de suo iudicaturis profectu Iureconsultis, quam rem vulgo  
sum vocant et subeundam academiae praescribunt quibuslibet supremos ab aliquo suo ordine hono-  
vt subsequatur deinde proxime praecedens hos honores alia similis res, quod *examen rigorosum*  
nec ante patiuntur hoc posterius in aliquo locum habere, nisi cesserit eidem superius illud ita, vt  
d vltiora concedi. Qui quidem Illi aditus tum statim ac memorabili cum laude apertus fuit.

Il tenderet continuo vltius, maxime iter obstitit necessarium, quod Effendiam, quasi iam alteram  
ere debebat, vbi tum quoque oblatum sibi a ciuibus ordinem Senatorium iustis de causis deprecabatur.  
et hinc a. XLI. ad tempus academiaram vicinam Duisburgensem et habitantes ibi viros doctissimos,  
RVM in primis atque SVMMERMANNVM, amicos parasset, vt rediit Effendiam, ibi desponsatus  
ne cum vnica Sorore ipsius ELISABETA SVSANNA CAROLINA Vir Magnificus et Illustris erat,  
OKES, Consul posthac reipublicae Lubecensium, a. LXXIII. a. d. XXI. Maii, meritis immortalibus  
tum vero Iurium P. P. O. in academia Ienensi et Gothani Saxonum Ducis a consiliis aulicis.

